


DE REGALI
ANNUOS CENSUS
A JUDÆIS EXIGENDI JURE
IN ELECTORATU COLONIENSI UNIVERSO
SOLI DOMINO TERRITORIALI COMPETENTE
DIATRIBA JURIS PUBLICI.



QUAM

UNA CUM PARERGIS.

EX INDULTU INCLYTI COLLEGII ELECTORALIS ACADEMICO-JURIDICI
IN ALMA APUD BONNENSES MAXIMILIANEO-FRIDERICIANA.

PRO SOLENNI TENTAMINE ACADEMICO FINALI
SUB PRÆSIDIO AUCTORIS

JOSEPHI VITALIANI LOMBERG

MAJORIS ARCHIDIACONALIS PERANTIQUÆ ECCLESIE BONNENSIS
CANONICI CAPITULARIS, JURIS NATURÆ ET GENTIUM, AC PUBLICI
ROMANO-GERMANICI, NEC NON HISTORIARUM PROFESSORIS P. & O.
COLLEGII ELECTORALIS ACADEMICO-JURIDICI ADSESSORIS PRIMARII,

IN AULA MAJORI JURIDICA

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT


PRÆNOBILIS AC PERQUAM ERUDITUS DOMINUS

PETRUS BERTRAM, Agrippinas

Jurium Auditor.

ANNO MDCCLXXXIII. Die XI. Septembris.

H. L. Q. C.



BONNÆ,

EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACADEM. APUD JOAN. FRID. ABSHOVEN.

Diss.
jur.
4.

Diss. jur. 4.
2

Dess. juv. 4
28c

1371 408 01



DE REGALI
ANNUOS CENSUS A JUDÆIS EXIGENDI JURE
IN ELECTORATU COLONIENSI UNIVERSO
SOLI DOMINO TERRITORIALI COMPETENTE
DIATRIBA JURIS PUBLICI.

§. I.

Collapso per orbem vastissimo veterum Romanorum Imperio, Judæos jure Civitatis jam undique exutos, uti in plerisque hodiernis terrarum Regnis FISCO REGIO addictos (a), sic præsertim in Germania quoque IMPERIALIS CAMERÆ SERVOS (b) fuisse habitos,

(a) Vide DU FRESNE Glossar. voce *Judeus*.

(b) Ita in Literis Fridericill. apud PETRUM DE VINEIS. VI. 12., *Judæi omnes & singuli degentes ubique per terras nostræ Jurisdictioni subiectas, christianæ Legis & Imperii prærogativa, quâ dominamur & vivimus, Servi sunt nostræ Cameræ speciales*“. Præterquam quod Jus provinciale alemannicum, de Judæis ita pronuntiat: *esse eos Servos Cameræ Imperii, in proprietatem Cameræ Regis Romanorum traditos*. In *Lüneburgs Reichsarchiv* Part. spec. Cont. IV. Tom. I. 15. Abs. pag. 745. Conf. LEHMANN Chron. Spir. VII, 42.

tos, ipsoque Servitutis jure (a) CENSUM pendisse (b), peculiari tamen PROTECTIONE IMPERIALI pro eo gavisos esse (c), satis luculenter *Historiæ testantur.*

§. II.

(a) Hæc Servitus in veteri jure provinciali & feudali apud GOLDASTUM in *Constit. Imp. Cap. 346.* pag. 102. inde à Temporibus *Titi* derivatur, unde eam vel certe à Majoribus suis ipse *Fridericus II.* repetere videtur in Diplomate Vindobonensi de A. 1237. apud LAMBECIUM in *Bibl. Cæs. Lib. 2. Cap. 5.* pag. 8. „Cum imperialis Auctoritas à priscis temporibus ad perpetuam judaici Sceleris ultionem eisdem Judæis induxerit perpetuam Servitutem.“

(b) Ceu *Aurum Coronarium* (die Kronsteuer) quod neo-electo & coronato AUGUSTO semel tantum, & *Numus oblatorius* (der Opferpfening) quotannis in Festo Nativitatis Christi exsolvebatur. Omnes utriusque Sexûs Judæi, dummodo annum ætatis XIII. attigissent, ad tales Præstationes fuere obstricti. *Aureus Numus* (ein Goldgülde) in utroque casu à quâlibet persona exactus, ut plurimum tamen, mediante transactione, pro omnibus in eodem loco commorantibus, certa Summa persoluta fuit. Hanc quoque in finem inter alios plurimos horum Censuum Exactores ab AUGUSTIS per universum Imperium constitutos, unus erat præcipuus ELECTOR MOGUNTINUS, cui inde *Jus provinciale Suevicum* Lib. I. Cap. 24. §. 3. Judæos Germaniæ subjectos perhibet ob *Archiepiscopatus* dignitatem, de quorum etiam Exactionibus Imperatori præstitis decimam partem percipiebat. Vide LAUTENSACK *de jur. & Præv. Elect. Mogunt.* Conf. STRYCKII *Diff. de Auro Coron.* Cap. III. Nr. 59. Hæc facit AUCTOR von Reichsvogtheien pag. 90. Item GOLDASTI *Constit. Imp. Tom. I.* pag. 186.

(c) Enimverò undecimum à Christo nato Seculum in Germania admodum fatale Judæis exitit: ubique fere locorum eosdem instar bannitorum reputatos, misere ac si bruta essent animalia trucidatos legimus apud BARONIUM ad An. MIX. Fatales etiam *Expeditiones cruciatæ* quàm exitiosæ fuerint Judæorum Genti, docet BERTHOLDUS CONST. in *Alpend.* ad *Herm. Contract.* ad A. MXCVI. & CHRON. STEDERBURG. ad A. MXCVI. ap. MEIBOM. *Script. rer. germ.* Tom. I. pag. 452. Unde quidem Henricus IV. Imp. ut hanc Judæorum Stragem cohiberet, eosdem in specialem suam Tutelam recepit teste ALBERTO STADENSI ad A. MXCVII. nondum

§. II.

Quemadmodum vero IMPERIALE hoc ex origine sua *Judeos protegendum* atque inde *collectandi* RESERVATUM, jam diu ante *Auream Bullam*, ARCHIEPISCOPO COLONIENSI vigore *Laudi An. MCCLVIII*, publicati, pro sua Provincia jure Feudi plenarie ad dictum (a), aliisque plurimis IMPERII STATIBUS tributum fuit, ab iisque realiter & cum effectu exercitum (b), sic denuo in

B

Aurea

dum tamen *Servi Camerae* salutari leguntur, quæ primùm Appellatio Se- culo demum XIII. invaluit sub Imperatore *Fridewico II.* teste PETRO DE VINEIS Lib. VI. Epist. 12. Immò talem fuisse Imperatoris mentem, *Judeos* jam ab antiquissimis temporibus *perpetuæ Servituti* addictos, tanquam *homines proprios* pro sua hæc *Tutelâ regiâ* Exactionibus, *Fisco* ceu *Camera imperiali* utiliores esse reddendos, bene advertit LAMBECIUS de *Bibl. Vindobon.* Lib. II. Cap. 5, pag. 80. sq. Sic itaque *Judæi* FISCO IMPERIALI sensim addicti, eidem debitum in Germania Censum præstiterunt, ut hæc ratione diris Christianorum Persecutionibus nimium quantum addicti, propitiam sibi experirentur Majestatem Imperatoris. Quid quod alii sustineant nonnulli, genus hominum pertinax & injuriarum patiens, Tributis à Rege christiano cogendis idoneum visum esse, atque ab ipsa horum Tributorum in *Fisci Regii* Ærarium delatione, *Servos Camerae imperialis* dictos. LIMNÆUS ad A. B. Cap. IX. §. 2.

(a) In LUNIGII *Spicil. eccles.* Contin. I. pag. 515. junct. pag. 333.

(b) Sic *Henricum* Marchionem Misnicum jam A. MCCLXV. *Judæis* Leges dixisse, certamque pro iis Ordinationem (*eine Juden Ordnung*) publicasse, testatur FABRICIUS in *Annal. Urb. Misn.* Lib. I. ad Annum MCCLXV. Sic *Rupertus* Archiep. Magdeb. redux Româ factus, unde *Pallium* Archiepiscopale petierat, Anno MCCLX. *Judæos* ad exsolvendam *Collectam* 10000. *Marcarum* adegisse legitur apud LEIBNITZIUM *Script. ver. Brunswic.* Tom. III. pag. 566. Circa idem tempus de *Eberbardo* Abbate *Sancti Emerani* in Urbe *Ratisbona* relatum legimus, quod *Judæis* & *Synagogam* & *Cœmeterium*, erga Censum annuum concesserit, in *GEWOLDI Addit. ad Hundii Metrop.* Tom. II. pag. 263. Ipsum adeo CONCILIUM VIENNENSE Anno MCCLXVII. in *Austria* celebratum, *Jus multandi* *Judeos*, Ordinationi de vestitu contravenientes, ac vel *usurariæ pravitatis* convictos, non Imperatori, sed *Territoriorum Dominis* vindicasse legitur apud COLETUM *Concil.* Tomo XIV. pag. 366.

Aurea Bulla (a) vigore Legis publicæ & fundamentalis, ARCHIPRINCIPIBUS IMPERII ELECTORIBUS tam ecclesiasticis quam secularibus, jure perpetuo confirmatum, ceterisque non paucis GERMANIÆ PROCERIBUS ab eodem postea CAROLO IV. IMPERATORE specialiter concessum (b), tandemque vi ORDINATIONIS POLITICÆ de A. MDXLVIII. ad omnes generaliter *immediatos Territoriorum Dominos* exclusive fuit extensum (c), tum etiam in PACE WESTPHALICA (d), tum CAPITULATIONE CÆSAREA (e) firmiter adeo atque irre-

(a) Cap. IX. §. 2. condita autem fuit A. B. Anno MCCCLVI.

(b) Post *Aureæ Bullæ* Publicationem Anno MCCCLX. CAROLUS IV. *Ducibus Austriæ* Judæos in illorum terris degentes, cum omni in eos jurisdictione in Feudum concessit, teste GLAFEY *Anecd. Tom. I. Nr. 372. pag. 294. sq.* Eodem Anno *Egoni Comiti Friburgensi* Judæos sub nexu feudali addixit apud DE LUDEWIG *Reliq. Manuscript. Tom. X. pag. 220. Fuldensi etiam Abbati* Judæorum protectionem, cum expressa facultate exigendi Tributa & imponendi Capitationes, indulgit, ap. BROWERUM *Antiq. Fuldens. Lib. IV. Cap. 18. §. 44.* Sic *Rupertus Imp.* Anno MCCCIX *Rahano Ep. Spir.* omnimodam una cum mero Imperio Jurisdictionem in Judæos concessisse legitur apud SCHILTERUM *ad jus feud. aleman. Cap. XIII. §. 5.*

(c) „*Sehen, ordnen, und wollen Wir, daß sübrohin niemand Juden anzunehmen oder zu halten gestattet werden soll, dann denjenigen, die von Uns und dem heiligen Reich Regalia haben*“.

(d) I. P. O. Art. VIII. §. 1. ubi expresse cautum legitur: Omnes Electores, Principes & Status, in Possessione Jurium antiquorum, prærogativarum, libertatum, privilegiorum, libero Juris territorialis tam in ecclesiasticis, quam politicis exercitio, stabili firmoque jure permanere debere. *Jus vero protegendæ atque inde collectandæ Judæos*, non esse in Statuum possessione satis antiqua, aut nec hodie omninò coherere cum ipsa Superioritate territoriali, nemo cum sana ratione poterit sustinere. Vide AYRER *de jure recip. Jud. Cap. I. §. 7. sq. & Cap. III. §. 6. sq.*

(e) Art. I. §. 2. ubi: „*Wie Wir dann auch in alle Weg wollen — — die Churfürsten, als des heiligen Römischen Reichs vorderste Glieder und Grundsäulen — — auch die Fürsten, Prälaten, Grafen und Stände*

irrevocabilitè corroboratum, ut singuli hodie STATUS IMPERII in suis Ditionibus eodem *Judæos protegendi* atque inde *collectandi jure*, ceu primario quodam & essentiali SUPERIORITATIS TERRITORIALIS REGALI, exclusive prorsus & absolute fruantur (a), ipsosque modò Judæos in Territoriis receptos, non *imperialis* amplius, sed *principalis Camerae Servos* haberi, ex diuturna satis Germaniæ Praxi docemur (b).

§. III.

Stände, bei ihren Hoheiten, — Gerechtigkeiten, Macht und Gewalt lassen“ Item §. 9. „Sollen und wollen auch Churfürsten, Fürsten, und Stände — ihre Regalien, Obrigkeiten, Freiheiten, Privilegien — Gerechtigkeiten, Gebräuche und gute Gewohnheiten, so sie bishero gehabt, oder in Übung gewesen — ohne Weigerung in beständiger Form confirmiren, sie auch dabei als Römischer König handhaben und schützen“.

(a) Inde ergo rectè procedit Argumentum: Omnes Superioritate territoriali munitos, vel ab Imperatore & Imperio Regalia possidentes, gaudere hoc ipso *Judæos recipiendi & protegendi jure*. Ex hac autem *protegerendi facultate* ceu ipsa peculiari *Advocatia* in Judæos ceu homines quasi proprios, tum expressis *Concessionibus caesareis*, tum *tacitis longæ Observantiæ & Præscriptionis Legibus*, tum *universalibus Imperii Recensibus*, tum denuo *Sanctionibus Germaniæ publicis & fundamentalibus* ipsi *Fisco territoriali* ceu *Camerae principali* jam à Seculis universaliter adscriptos, perfectum quoque & absolutum *Jus* proficiscitur, *Tributum Censisque annuos exigendi*. Vide PFEFFINGER *Vitriar illustr.* Tom. III. pag. 1285. MASCOV. *de Censu judaico.* §. 14. AYRER *de jure recip. Jud.* Cap. I. §. 7. sq. & Cap. III. §. 6. sq. PERTSCH *de jure Augusti à Judæis exigendi Aurum Coron.* pag. 34. sqq.

(b) Sic Ludovicus Marchio Brandeb. suos Judæos ab omnibus aliis Exactionibus erga annum Censum liberos, simulque *Camerae suæ Servos* dixisse legitur in *Diplomate* apud LUDEWIG in *Reliq MSt.* Tom. VII. pag. 76. Idem quum Anno MCCCLIII. pignori daret Judæos Monachomonti degentes, iterum *Servos Camerae suæ fideles* eosdem adpellavit, ap. DE LUDEWIG l. c. Tom. IX. pag. 545. sq. Sic Judæi in recognitionem Protectionis *Duci Bavariæ* annua Tributa solventes, ab eo fideles *Camerae suæ*

Quùm præterea REGALE hoc *Judæos protegendi, eosque col-
lectandi Jus*, solis hodie in Imperio Romano-germanico Statibus,
absoluto Superioritatis suæ territorialis vigore, aded perfecte eo-
que cum effectu competere dignoscatur (a), ut ceteri citra dis-
crimen omnes & singuli ab Imperatore & Imperio Regalia non
habentes, mediante expressâ ORDINATIONE POLITICA de Anno
MDLXXVII (b) à simultaneo ejusdem juris exercitio, penitus &
per-

suæ Servi salutantur in HUNDII *Metrop. Salisb* pag. 83. De *Wilhelmo*
Thuringiæ Landgravio legimus, quod *Judæos Coburgi* degentes *proprios*
suos Judæos dixerit in *DIPLOMAT. MISCEL. Rerum Thuring.* Lib. II.
Nr. 45. ap. DE LUDEWIG l. c. Tom. X. pag. 252. Sic *Marchiones Mis-
næ* *Judæis* eorumque uxoribus, liberis & famulis suam spondent Protecti-
onem, quod sint fideles *Camera principalis Servi*, apud eundem DE LU-
DEWIG l. c. Tom. X. pag. 230.

(a) Excepto, quod *liberæ Civitates Imperii* atque *Nobilitas imme-
diata*, quatenus ab AUGUSTIS ad specialia eorum Patrimonia referuntur,
eodem jure cum ipsis quidem communicato, non æque tamen illimitato
utantur. Vide MOLLENBECK *de Subsid. charitat. liber. & immed. imp.*
Nobil.—MOSER *deutsches Staatsrecht* Part IV. Lib. II. Cap. 49. 5. 12.
& 13.—DE LUDEWIG *Erläut. der gold. Bull.* Tit. IX. §. 3.

(b) „Da aber jemand darüber (der vom Kaiser und dem Reich
keine Regalien hätte) *Juden* aufnehmen würde, so sollen doch dieselbi-
ge an keinem Ort Sicherheit und Geleit haben, daneben von Uns ernst-
lich Einsehens dargegen vorgenommen und abgeschaffet werden“. Nec
obstat, quod refert ERTELIIUS in *Praxi aurea* P. 2 C. 8. pag. 410. in
Franconia Dominos etiam voghticos *Jus recipiendi Judæos* exercere: id
quod confirmatur apud WEHNERUM in *Observation. pract.* „daß die von
Adel im Lande zu Francken auch Macht haben, in ihren Flecken, und
auf ihren Gütern denen *Juden* Begräbnis und Schulen einzugeben“. Siquidem
advertente BECKIO Tr. vom *Judenrecht.* Cap. III. §. 4. ea ver-
ba de *superiori Voghteja*, quâ pollent ibidem *Nobiles immediati*, intelli-
genda sint: utpote quæ *Vogtbeja*, ceu *Species Superioritatis territorialis*,
eidem

perpetuo exclusi intelligantur: hinc tale jus tanquam *Regale majus & essentialè* à Mediatis quibuscunque, nullà etiam immemoriali Præscriptione adquiri (a), nec à Domino territoriali cum suis Landsassiiis, ceu Dominis subalternis, perpetuo & irrevocabili pacto poterit communicari (b), ut adeò, ubi Nobilitati etiam mediatae in ejusdem Terris, Territorio principali subordinatis,

C

eidem saltem quàm proxime accedit. Vide LÖCHNER de *Reservat. Imperatoris exigendi Aurum Coron.* à *Jud. Cap. II. §. 4.* verbis: *sed ceteris mediatis hæc facultas non competit.*

(a) Enimvero *bonum universale publicum*, quod in omni Civitate tam imperantibus, quam Civibus parentibus *suprema Lex* est, absolute exigit, ut jura proprie *majestatica* æque ac *Majestatis æmula*, ab illis tantum exercentur, penes quos vel ipsa residet *Majestas*, vel talis saltem *Potestas*, quæ ipsius est *Majestatis æmula*: His quippe solis non aliis, quælibet Civitas suam Salutem publicam omnibus necessariis atque sufficientibus mediis promovendam concedit, à quibus consequenter solis, non ab aliis bonam Regiminis Administrationem exspectat, postulatque. Ex quibus profectò patet, omnia & singula Superioritatis territorialis Jura ceu *Regalia majora*, veluti ad ipsam *Regiminis essentialiam* spectantia, non ab alio regulariter, quàm *solo Principe*, pro bono universali publico Civitatis rectè obtinendo, exerceri posse, & consequenter quæ talia, ex suâ indole impræscriptibilia esse, prorsusque inalienabilia. Vide ICKSTATT de *Possessione Regalium, Subditum seu Landsassium adversus Territorii Dominum parum aut nihil relevante.* §§. III. 122. & 124.

(b) Neque ab ipso *Imperatore*, qui tale suæ *Majestatis Reservatum* jure perpetuo & irrevocabili communicare potuit cum *Statibus Imperii* tenet Argumentum ad hos ipsos ceu *Dominos territoriales*, quatenus æque valeant idem *Regale*, perpetuo & irrevocabili pacto transferre in suos *Landsassios*. Disparitas enim maxima est: quàm *absoluta* in Imperio *Majestas* penes *Cæsarem & Status* tanquam Caput & Membra simul concrete spectatos resideat: consequenter *absolutæ Majestati* nihil detraxerit, sed solummodò circa ipsum hujus *Majestatis* exercitium, in favorem *Statuum*, pro majori bono *Imperii* publico universali, ac *Territoriorum* particulari, ita specialiter disposuerit; id quod cum particulari *Regiminis germanici* Sistemate, indole atque genio quàm optime conspirat.

natis, actu tributum comperitur, nonnisi salvâ Superioritate territoriali, citraque Successorum præjudicium, merè precario concessum esse intelligatur (a).

§ IV.

In ELECTORATU COLONIENSI Landsassii ceu Nobilibus mediatis in suos Pagos & Oppida *Judeos recipiendi facultas* jam à Seculis quidem, ità tamen merè precario tributa dignoscitur (b), ut eandem *Archiprincipes Electores Domini territoriales* non tantum intra arctiores nunquam non Cancellos pro libero plane arbitrio coarctandi (c), sed ipso etiam absoluto, pro re visâ, atque utilitatis publicæ promovendæ gratiâ, eam sibi integram vindicandi jure utantur (d).

§ V.

(a) Unde ipsis etiam *Landsassii* ceu Subditis nobilibus mediatis, ejusmodi *Jus Superioritatis territorialis* quomodocunque tributum, à *Domino territoriali* intra arctiores nunquam non Cancellos pro suo libitu concludi, aut adeò, pro re visa, *sue Superioritati* poterit vindicari: cujus veritatis exempla præsertim ex *Jure publico Colonienfi statutario* jam infra suppeditabimus.

(b) Ità enimvero in *der erneuerten Judenordnung* de Anno 1700. Cap. I. §. 5. legitur: „Die Unterthanen und Subalterni Domini, auch die Pfands Herren, so Juden zu vergleichen, von undenklichen Jahren hergebracht, oder dazu sonderlich privilegirt, mögen solche ihre hergebrachte Gerechtigkeit hinfüran continuiren“.

(c) Exempla satis manifesta desuper exhibent variæ diversorum Electorum Colon. *Ordinationes judaicæ* in CODICE MAXIMILIANO-FRIDERICIANO Tom. I. 2te Abth. 4ter Abschn. Tit. *Judenschaft*. Inter quas præprimis huc facit illa quæ dicitur reformata *Josephi Clementis* de An. 1700. loc. cit. pag. 226. Cap. I. §§. 5. 6. 7. & 9.

(d) Sic *Ernestus* Elect. primus legitur, qui in suâ *Ordinatione* de Anno 1599. §. 1. hoc sibi soli *Judeos recipiendi Jus*, seclusis Landsassii, integerrime reservat in verbis: *Es soll sich aber hinführo kein Jud oder Judinn in unserm Erzstift niderschlagen, betreten oder finden lassen,*

§. V.

Uti autem Judæi ceu homines quasi proprii in ipso etiam *Electo* *Colonienſi* tanquam *Servi Camerae principalis* habiti (a) univ-
ſim ad *Cenſus annuos* ſoli *Domino territoriali* in debitam ſuæ *Protekti-*
onis recognitionem absolute præſtandos jam à *Seculis* fuere ob-
ſtricti

ſen, der oder ſie habe dann zuvor rechtmäßig gewöhnlich Geleit und
Vorwardt unter unſerer Hand und Siegel erlangt, auch ſich ſon-
ſten des *Inzugs* und jährlichen *Tributs* verglichen“. Alterum in eo-
dem jure *Superioritati ſuæ territoriali* penitus vindicando veneramur *Ar-*
chiepiſcopum Electorem Maximilianum Henricum, in ſua *Ordinatione* de
Anno 1651. hujus ſequentis tenoris: „Demnach Wir in gewiſſe Erfah-
rung bracht, was geſtalt in unſerm Erkhift Cölln, an verſchiedenen Or-
ten die Juden ohn unſer ſpecial Geleit durch die Beamten und Untere-
herren, unterm Schein hergebrachter Unterherrlichkeit oder *Jurisdic-
tion*, anmaßlich aufgenommen, unterſchleift, und vergleitet worden, und
aber niemanden gebürt noch zugelaffen iſt, Juden aufzunehmen und zu
vergleiden, dann ic.“ Sic ipſe etiam *Electo Joſephus Clemens*, poſt-
quam in ſupra cit. *ORDINATIONE REFORMATA*, hoc ipſum *Judæos re-*
cipiendi Jus, ſuis etiam *Landsſaßis* omnino quidem *precario* tribuerat,
intra archiſſimos ſimul tamen limites conſtrinxerat, in ſine ſibi expreſſe re-
ſervavit *Jus*, hanc *Ordinationem* ita ad interim *reformatam*, pro rerum
temporumque circumſtantiis, pro libero ſuo arbitrio *immutandi*. Cap. VII.
§. 2. Præterquam quod eodem loco jam cit. manifeſtum habeatur *Exem-*
plum, ejusmodi *Ordinationes & Reſcripta* unà cum *PRIVILEGIIS & CON-*
CESSIONIBUS in iisdem *precario* conceſſis a *Principe* & quidem *absoluto*
Superioritatis ſuæ territorialis vigore, pro rerum temporumque circum-
ſtantiis, revocari, ac vel penitus aboleri poſſe, expreſſis teſtibus verbis:
„dahingegen aber (ſollen) alle vorige in unſerm Erkhift ausgelaffene *Jus-*
denordnungen, *Reſcripta*, *PRIVILEGIA* und *CONCESSIONES*, wie die im-
mer Namen haben mögen, gänzlich hiemit aufgehoben ſeyn“.

(a) Unde *Archiprinceps Elector Joſephus Clemens* in ſine *Proœmii*
ſuæ ORDINATIONIS REFORMATÆ ſupra cit. diſertè innuit: „Daß auch
zwiſchen der chriſtlichen Freiheit, und jüdiſchen *Dienſtbarkeit* ein merk-
licher Unterſchied gehalten werden möge“.

Aristi (a), ità expressis Legibus tam ipsi Status provinciales, quam ceteri Magistratus & Landsassii, ab omni qualicunque tam annui seu ordinarii, quam extraordinarii cujusdam Tributi à Judæis exigendi facultate, penitus excluduntur (b).

§. VI.

Quod si igitur Landsassii ceu Domini subalterni præter nudam Legibusque expressis valde circumscriptam (c) Judæos recipiendi facultatem mere precariam, ipsum adeo regale collectandi, Censuræque

(a) Testes habemus ORDINATIONES JUDAICAS Ernesti & Josephi Clementis, quarum prior de Anno 1599. §. I. hæc habet: Es soll sich aber kein Jud in unserm Erbstift niederschlagen, er habe dann zuvor sich des Inzugs und jährlichen Tributs verglichen. Posterior, quæ dicitur reformatæ de Anno 1700: Cap. I. §. 5. ita sonat: „jedoch daß selbige Juden dieser Ordnung gemäß sich verhalten, den Tribut und andere der Judenschaft von Uns (dem Landesherrn) auferlegte Lasten der Tax gemäß abstatten“.

(b) Vigore ejusdem Ordinationis reformatæ Cap. III. §. 6. „Dahin gegen aber (die Juden) mit keinen ordinari noch extraordinari Contributionen, Schatzungen oder Steuern, wie sie Namen haben, von unsern löblichen Landständen, Beamten, auch Bürgermeister und Rath belegt, sondern solches allein unserer gnädigster Disposition solle anheim gestellt seyn und bleiben“.

(c) Vigore præsertim cit. ORDINATIONIS REFORMATÆ Cap. I. §. 5. ubi: „Auch (sollen die Juden) nicht in übermäßiger Zahl, noch einige, so weniger dann sechs hundert Thaler Cöllnisch im Vermögen haben, von denen Unterherren angenommen werden, welche jedesmal von des angenommenen Geleit eine authentische Abschrift uns zu dem End einzuschicken gehalten seyn sollen, damit die Anzahl allinger Juden der Churfürstl. Hofkammer bekant, auch sonst wissig seye, ob dieser Ordnung gemäß sie vergleitet seyn mögen: wobey doch gedachten Unter- und Pfandsherren hiemit außdrücklich eingebunden wird, keinem Juden, deme von Uns das Geleit abgeschlagen, oder aufgekündet worden,

que annuos ab illis exigendi *Jus*, contra expressas & *Imperii & Territorii LEGES PUBLICAS*, ex parte sibi adrogare, eumque in finem majorem, quàm fas est, Judæorum quantitatem, in *Legis ac christianæ Reipublicæ fraudem* abundantius admittere comperiantur: *Jus profectò inest in Imperio territoriali*, quo ejusmodi *Census* quotannis quomodolibet incompetenter exactos, ab hisce *Landfassis Fisco integerrime restituendos*, seridò repetantur (a), Judæique
D aut

den, in ihren Unterherrlichkeiten solches ohn unser gnädigstes Vorwissen und Belieben zu verstatten". Item §. 9. soll jedes Jahr auf den 2ten Januarii durch unsere Unterherren und Pfands-Einhabere jedes Orts, wo Juden wohnhaft seynd, eine richtige Verzeichniß aller in jeder Unterherrlichkeit befindlicher Juden-Personen, es seyen Mann, Weib, Kinder, welche über 14. Jahr alt, Hausgenossen oder Gesinde, wie die Namen haben mögen, von wannen sie seynd, und sie mit Geleitsbriefen versehen, ohn einiges Beschwer deren Juden, zu unserer Hoffkammer eingeschickt werden".

(a) Neque ejusmodi etiam *Landfassi* ceu *Domini subalterni*, tanquam *Jurium Superioritatis & Regalium* omnino incapaces, consequenter aptitudine ad possidendum ejuscemodi jura plane carentes, tueri se poterunt longissimi temporis *Præscriptione* aut *Possessione*, utpote vitiosâ, quâ nec quicquam obstante, veram ac genuinam penes *Principem ac Rempublicam* *Possessionem* salvam mansisse dicamus, quam proin integerrimam unâ cum fructibus indebitè & quomodolibet incompetenter perceptis, ab illegitimis *Possessoribus* nullo non tempore avocare, & ratione optimâ recuperare valeat. Sive igitur ex deliberato ipsorum proposito, sive adminiculante *Officialium* aut *Camerae principalis*, ceu *Fiscalium* negligentia, *Jurium territorialium* nec non *regalium* *Possessionem* quis nactus fuerit, is rem sese alienam usurpare, nescire nequit; Enimvero quæ cum *Scientiâ rei alienæ* conjuncta est *Possessio*, *malæ fidei* audit, ut consequenter qui *Regalia & Jura Principis territorialia*, quomodocunque sine titulo satis legitimo possident, in *malâ fide* constitutos esse, in aprico est. Malâ autem fide, nec justo titulo, & plane non possidere, quod effectus juris attinet, unum idemque sunt, *Argum. L. 7. C. de acquir. Posses.* Vide ICKSTATT de *Superioritatis territorialis nec non regalibus Juribus baud præscribendis.* §. 14. sqq.

aut omnes, aut saltem quantum sunt nimii, ac vel Bono publico noxii, & consequenter civiliter illegitimi, ex Pagis illorum atque Oppidis, penitus proscribantur (a).

§. VII.

Quum demum in ELECTORATU COLONIENSI, mediati *Landsassiorum* Judæi, cum ceteris in Territorio Judæis immediatis, in tertia tantum *ordinarii* utriusque tum *annui* tum *duodennis* (b) *Tributi* Fisco præstandi parte concurrant (c), immò adeò mediati ta-

(a) Quod si olim STATUS PROVINCIALES METIPSI publice legantur confessi: PRINCIPEM *Superioritatis sue territorialis* ceu *Imperii eminentis* vigore, absolutam habere Potestatem, omnes universo Territorio Judæos, utilitate publicâ suadente, expellendi: quidni & hodie profiteri debeant, idem à potiori Jus esse *Principi* adversus Judæos civiliter illegitimos, in ipsis saltem *Landsassiorum* Pagis atque Oppidis, *principali Territorio* ejusque *Jurisdictioni* subordinatis, salute publicâ exigente? Argumento ORDINATIONIS ERNESTINÆ supra cit. in *Proæmio*: „Nachdem unsere getreue Rheinische Landstände und gehorsamme Unterthanen, auf etlichen gehaltenen Land- und Ausschuss-Tagen vor eine hohe Beschweriß angezogen ic. — mit unterthänigster Bitt, Wir als die hohe Obrigkeit geruheten, dieselben Juden entweder abzuschaffen ic.“ Item in *Proæmio* ORDINATIONIS REFORMATÆ: „Obschon Wir von löblichen Landständen verschiedentlich seynd belangt worden, um die Judenschaft aus diesen unsern Erzsiftischen Landen völlig auszuweisen“.

(b) Quatenus singulis Duodecenniis novum universim impetrare tenentur *generale Commensus Diploma*.

(c) Pro eo quidem, quod hi mediati extra *Dynastias*, in quibus recepti sunt, mercaturam agere, aut alibi immediatis Territorii Judæis in lucro captando præjudicare prohibeantur: quæ tamen Prohibitio vix hodie aut ne vix quidem sive à *Mediatis* in *minutissimis* etiam *Dynastiis*, unico quandoque Pago circumscriptis, NIMIO QUANTO sæpe NUMERO degentibus, ni fame velint tabescere, strictius observari, nec ceteris *Territorii Urbibus*, atque *Oppidis* quicquam prodesse poterit, quin certius vel eo potioribus omnia Judæorum fraudibus exposita comperiantur.

tamen nonnulli de moderata hâcce *Judaici universalis Tributi Præstatione* sese intereâ temerè subduxerint (a), non aliter, ac si non *Principi*, sed suis *Dominis subalternis*, eam totam, quâ gaudent, Protectionem, deberent (b): *Domini* verò *subalterni* complures, præter consuetam Receptionis *Arrham*, certum etiam adeò *Censum annuum* à singulis suorum *Judæorum* familiis, quatuor regulariter ad sex, plus minus, Imperialibus pendendum, exigere hætenùs, atque inde in *Judæorum* Receptione, nec ad legitimum illorum numerum, neque ad eorum qualitates *Jure statutaris* requisitas, nec consequenter ad communem christianæ Civitatis utilitatem, quin potiùs ad suum Interesse privatum primariò respicere adsueverint (c): profectò patet, quid consideratis hisce rerum publicarum
 Cir-

(a) Jam sex circiter abhinc annis, intelligendo illos, qui *SONTINÆ* vel alibi commorantur.

(b) Enimverò nuda & simplex aliquos moderato numero *Judeos recipiendi facultas*, Subditis *Landsassii* mere precariò tributa, toto sane *Cælesti* iuncta intelligitur ab ipso *regali Judeos protegendi Jure*, cum *Imperio eminente* indivulsè prorsùs coherente.

(c) Quod si adeò *Landsassii* in solennibus *Comitiis provincialibus* adversus proprium non semel *Dominum territorialem*, puncto quasi largæ nimis in *Territorium principale* *Judæorum* factæ *Admissionis* sese opponere, suaque super his & ejusmodi aliis *Gravamina* exhibere ausi sint, quid nisi *Jus potius* competat *PRINCIPIS* indulgentissimo, gravissimis tandem *Subditorum* suorum *Landsassiorum* abusibus, ex ipsa suæ *Potestatis plenitudine* obviam eundi, expressas *Leges statutarias*, *precaria* illorum circa *Judæos* *Jura* arctissimis limitibus circumferibentes, atque in *ORDINATIONE REFORMATA* Cap. I. §§. 5. 6. 7. 8. & 9. comprehensas, reali *Executioni* efficaciter demandandi, ipsosque demùm qualescunque *Judaicos Censum annuum* ab iisdem adeò incompetenter hætenùs perceptos, suo *Fisco* plenariè vindicandi, ut hæc tandem ratione, primariâ tot abusu causa cessante, ipse illorum etiam pessimus cesset adversus *PRINCIPEM & REMPUBLICAM* Effectus. Pro *Coronide* audiamus egregium *Juris publ. Consultum*, eruditissimum *ICKSTADIUM*: „*Hodie* (*Jus protegendi Judæos*) *inter insignia*
 Ter-

Circumstantiis perfecti absolutique Juris sit Eminentissimo ARCHIPRINCIPI nostro ELECTORI in suis suorumque SUCCESSORUM Juribus vindicandis, Legibus Patriæ exsequendis, Subditorum Libertatibus restaurandis, & suarum denique Provinciarum *Bono universali publico* fortiter tuendo?

§. VIII.

C O N C L U S I O.

Atque hæc demùm sunt, quæ paucis quidem, Argumentis tamen; uti confido, satis relevantibus ex professo demonstravimus: REGALE ANNUOS CENSUS A JUDÆIS EXIGENDI JUS IN ELECTORATU COLONIENSI UNIVERSO SOLI DOMINO TERRITORIALI, LANDSASSIIS PENITUS EXCLUSIS, PERFECTE ABSOLUTEQUE COMPETERE.

Territorii Jura, atque eminentiora Superioritatis effluvia connumeratur. Quod si itaque Officialium negligentia abusus irrepserint, atque Domini jurisdictionales vogtbetici in Pagis suis & Prædiis mediatis eandem sibi Potestatem adscribere conati fors fuerint, id Possessores ejusmodi Landsassios in spuria hæc Possessione ne quicquam tuebitur: quin potius, Princeps tanquam Territorii Dominus, sub cujus solius Tutamine Judæi vivunt, optimo Jure eam sibi non tantum Protectionem, sed & inde provenientes redditus atque utilitates vindicaturus est. in Diss. de Superioritatis territorialis nec non regalibus Juribus dolo aut negligentia Ministrorum & Officialium Principis haud præscribendis. *Wircebur.* 1739. §. 39. pag. 51.

PARERGA

P A R E R G A.

- I. Nobiles Landsassii Colonientes Judæis intra illorum Dynastias degentibus, nec facultatem erigendæ Synagogæ, neque aliàs publicum Religionis Exercitium in Domo quâdam adinstar Synagogæ celebrandum, citra expressam Principis Electoris licentiam, concedere valent.
- II. Unde pecuniæ pro ejusmodi facultate incompetenter concessâ Dominis subalternis aut semel exsolutæ, aut quod pejus est, per modum Censûs annuatim præstandæ, optimo jure à Fisco territoriali vindicantur.
- III. Erronea est veterum Doctorum ac hodierna vulgi persuasio: Judæos esse ipso jure infames, quod publici existant usurarii, quos ipso jure infames esse constaret.
- IV. Quod si ratio decidendi prædicta, eosdem reddidit infames, non sunt tales per se, sed quatenus sunt usurarii, & ita hoc Crimen ante omnia in singulis foret probandum.
- V. Neque hic attendenda est Clementis III. S. P. Sententia in C. 13. X. de jud. ubi adserit: propriam Judæos culpam submisisse perpetuæ Servituti.
- VI. Non tam igitur propter infamiam, quàm ob suspectos universim illorum adversus gentem christianam iis quasi Servis imperantem Adfectus & Zelotypiam, cum ratione quodammodo sufficiente dici possunt jure privari Dignitatibus quibuslibet obtinendis.
- VII. Communis hujus Suspicionis & inde resultantis Servituis intuitu, in nulla Christianorum Facultate Jurium Doctores creari, nec Judicis neque Advocati nequidem Notariatûs officium, sustinere valent.
- VIII. Pluribus ergo sine ratione tamen sufficiente paradoxum videtur, hisce Judæis adeò suspectis ipsum nihilominus Medicinæ Gradum utut aliàs periculosissimum conferri in Protestantium Universitatibus.
- IX. Id quod à Summis Pontificibus sub pœna Excommunicationis prohibitum legitur Catholicorum Academiis.
- X. Quùm in Orbe christiano res Judæorum eo sit redacta, ut omni viâ ad quævis officia & opificia illis præclusâ, suæ vitæ Subsidia, vel unicè ex

scenore quærere cogantur: profectò sequitur, ex nimia illorum tolerantia, plurima in Rempubliam redundare incommoda, quæ Pauperes præsertim graviter opprimuntur.

XI. Unde simul patet, hæc incommoda non tam ex ipsa Judæorum Receptione & Tolerantia per se fluere, quin potius per accidens evenire, quatenus pro præsentè rerum statu aliud vitæ genus exercendum iisdem haud est relictum.

XII. Hæc potissimum rationes sapientissimum Imperatorem nostrum Josephum II. ad præclarissimas Ordinationes judæicas in Terris suis hæreditariis novissime publicatas induxerunt, quæ penitus indagatæ, non Judæis tantum, sed christianæ etiam Reipublicæ admodum favorabiles comperiuntur.

XIII. Vulgata olim persuasio: Judæos in Orbe christiano nullibi tolerandos ac penitus ubique extirpandos esse, ex ipso præjudicii & persecutionis spiritu orta & sic satis suspecta, crudelis fuit atque injustissima.

XIV. Cur enim Christiani deleant illos, quos ipse Deus seu Testes sui Testamenti perpetuos, mediis sub calamitatibus mirificè hæctenus conservavit?


XV. Immò Tolerantia est infimus erga Proximum amoris gradus: ipsius est humanitatis vinculi à natura inter homines constituti, effectus insignis: est gentium moratorum, in quo à barbaris distinguimur, proprium criterion, immo ipsum rationis seu Legis naturalis præceptum.

XVI. Ita ergo in Orbe christiano tolerantur Judæi cautè, moderatè, ac legitime, ut in eundem cum Civibus christianis Reipublicæ finem commode valeant conspirare.

XVII. In Concilio Vindobonensi An. 1267. celebrato, hæc leguntur Sancta: ut Judæi Sacerdoti parochiali, infra cujus Parochiæ terminos habitaverint, pro eo, quod ædes, in quibus Christiani degere possent, jam occupent, juxta quantitatem damni, quod ex hoc Parocho inferunt, ad omnes loci Proventus, quos, si ibidem habitarent Christiani, Sacerdos perciperet, ad Arbitrium Episcopi refundere compellantur.

XVIII. Ex quo patet, Principes pariter ac Dominos territoriales, Judæis in Christianorum Parochiis degentibus, perfectum habere imperandi jus, ut etiam jura stolæ persolvant.





lectò sequitur, ex nimiã illorum toleranti-
redundare incommoda, queis Pauperes

incommoda non tam ex ipsa Judæorum Re-
suerunt, quin potius per accidens evenire,
tatu aliud vitæ genus exercendum iisdem

cientissimum Imperatorem nostrum Jose-
phum, quæ penitus indagata, non Ju-
dæis Reipublicæ admodum favorabiles compe-

ditos in Orbe christiano nullibi tolerandos
esse, ex ipso præjudicii & persecutionis
causâ, crudelis fuit atque injustissima.

Et illos, quos ipse Deus seu Testes sui Testa-
mentis mirificè hæcenus conservavit?

quæ erga Proximum amoris gradus: ipsius
inter homines constituti, effectus insigni-
ficant in quo à barbaris distinguimur, præcipuum
est seu Legis naturalis præceptum.

et tolerentur Judæi cautè, moderatè, ac le-
gis christiana Reipublicæ finem com-

An. 1267. celebrato, hæc leguntur Sani-
tati, infra cujus Parochiæ terminos habi-
tantes in quibus Christiani degere possent, jam
tamenni, quod ex hoc Parocho inferunt, ad
si ibidem habitarent Christiani, Sacerdos
populi refundere compellantur.

pariter ac Dominos territoriales, Judæis
gentibus, perfectum habere imperandi jus,

